

„De communione quotidiana et de domestica; quinam sint abusus? quid sentiant Theologi per SSmum D. N. ad scribendum deputati, jam satis abunde perspexerunt EE. VV. e scripturarum fasciculis per manus transmissis, quid autem resolvendum veniat, quid remedii adhibendum, urgente Sanctitate Sua ab EE. VV. summa sapientia zelo ac prudentia expectatur.“

Dubia quinque jam supra descripta sunt:

Ad dubia s. Congregationis Concilii pro die sabbati 2. Octobris 1677. De communione quotidiana et domestica:

„Ad primum, secundum et tertium quaesitum: servandas literas Sacrae Congregationis emanatas sub die 24. Januarii 1587 ad interpretationem Sacri Concilii Tridentini sess. 22. cap. 6. de sacrificio missae, videlicet, non esse generaliter praecipendam nec interdiciendam communionem quotidianam vel ad certos dies sed tantum parochis et confessariis injungendum, ut ad mentem Sacri Concilii (Sess. 15. cap. 7. de sacram. Euchar.) sedulo probationem explorent, quam praecipit Apostolus: Probet autem seipsum homo, et quod magis vel melius profuturum perspicient praescribant. Ulterius laicos conjugatos hortentur monitu ejusdem Apostoli, ut se contineant, orationi vacantes, ac magis pro sacra synaxi, quod antiquitus habetur ex figura veteris testamenti de David in lib. 1. Regum cap. 21. et opportune in catechismo Romano par. 2. de Sacram. Eucharist. n. 58.“

„Ad quartum: Communionem domesticam non permittendam, nisi ex causa necessitatis, praecipiente Apostolo: Dum convenitis invicem expectate; si quis esurit, domi manducet. Cui praecepto apte conformatur Rituale romanum sub titulo de Sacramento Euchar. cap. de communione infirmorum.“

Ad quintum: Abusus tollendos, falsas doctrinas dammandas et parochis, con-

fessariis ac praedicatoribus sub censuris injungendum, ut ab eis abstineant, nempe:

Quod communio quotidiana sit jure divino vel positivo sancita vel interdicta. Quod sola praeservatio a culpa mortali ad praeparationem pro s. communione sufficiat, cum ulterius necessarii sint actus fidei, charitatis et humilitatis.

„Quod liceat communicare domi extra casum necessitatis vel Eucharistiam retinere contra praescriptum Ritualis Romani.“

„Quod liceat duas formas seu particulas tradere ad finem, ut diutius sacramenti existentia perduret contra ritum Ecclesiae romanae.“

„Et hac occasione imponendum esse Episcopis illarum dioecesium, in quibus controvertitur quaestio de quotidiana communione, ut summopere invigilent ad tollendos abusus, quod scilicet multi sine debitis praeparamentis, licet peccato mortali careant, accedunt ad quotidianam communionem; quia hoc est irreligiosum et quod debeant Ordinarii suavi modo admonere populum et injungere confessariis, ut suadeant poenitentibus de abstinendo a quotidiana communione, declarando eis, quam magnae venerationis sit necesse erga Sacramentum et quanta animi praeparatio et quam purum cor requiratur ad digne sumendam Eucharistiam et esse eisdem pariter transmittendam epistolam s. Congregationis scriptam Episcopo Brixienti.“

„Subdendo, quod debet damnare opinionem, quod communio quotidiana sit praecepta vel prohibita de jure divino, cum a sanctis patribus neque improbatum neque laudatur; sed quando poenitentes optime devoto et praeparato animo sunt, ita ut cognoscatur a confessario habere fervorem spiritus, sicuti habebant illi, qui in primitiva

Ecclesia quotidie communicabant, et hoc casu a sanctis Patribus laudatur, aut animo simpliciter praeparato accedunt ad illud sumendum et spiritus non crescit, et hoc casu ab eisdem improbatum.“

„Et demum concludendum contravenientes quoad propositiones damnandas esse per pastores ecclesiarum coercendos et omni juris et facti remedio puniendos.“

Die 2. October 1677.

Instructio Episcopis mittenda ut a confessariis observetur.

Quotidiana communio, quamvis optanda, non tamen omnibus expedit. Ideoque sciant confessarii pro ea non sufficere in poenitentibus carentiam peccati mortalis tantum, sed requiri summam et exactam dispositionem, nempe remotionem peccatorum venialium pro viribus, remotionem affectuum inordinatorum, curarum et sollicitudinum superfluarum, quas scilicet nec ratio status exigit nec imperat charitas, nec justitia nec obedientia. Insuper etiam requiri convenientia media, quae sunt actus virtutum et singularis reverentia ac devotio erga tam effabile Sacramentum. Et an haec omnia adsint in poenitentibus, oneratur conscientia confessarii, ne poenitens iudicium sibi manducet et bibat, non dijudicans Corpus Domini.“

„Ideo quotidianam communionem non suadeant confessarii personis non adeo perfectis, etiamsi apparuerint sufficienter dispositae, et cavere debent, ne absque magna reverentia et sanctitate ad percipiendum accedant.“

„Et licet quis sit bene dispositus, si eum quotidiana communio impediatur ab officio ac negotio, quod vel ex obligatione vel charitate praestare tenetur, eam illi confessarius dissuadeat.“

Decreta authentica. Tom. III.

„Rudibus et imperfectioribus quotidianam communionem non concedat, nec conjugatis, qui praecedenti nocte debitum matrimoniale reddiderunt, itemque pollutis, etiam sine consensu et causa, dummodo non adsit necessitas communionis vel quod sine scandalo omitti non possit. Itidem dissuadeat eis, qui in die communionis sunt vacaturi mundanis negotiis, in quibus semper aut fere semper graviter delinquitur.“

„Quoad moniales et regulares curet confessarius observari regulas et consuetudines legitimas et probatas, ac studeat, ut convenient omnes; non enim expedit, ut alicui quotidianam vel frequentiore communionem singulariter concedat, si tamen majori prae caeteris fervore spiritus atque amplioribus Spiritus Sancti muneribus a Deo ditatur, admittere potest singulariter ad frequentiore et etiam quotidianam communionem.“

„Redarguat asserentes communionem quotidianam esse de jure divino.“

„Doceat, in Ecclesia seu oratoriis privatis ex dispensatione Pontificis sumendam SS. Eucharistiam nec eam ullo modo deferendam in crumena aut secreto ad existentes domi vel in lecto, praeterquam ad infirmos et hisce publice et cum pompa juxta formam Ritualis, neque ulli tradendas plures Eucharistiae formas seu particulas neque grandiores sed consuetas.“

„Admoneat, ne venialium confessio fiat simplici sacerdoti non approbato ab Ordinario.“

„Si parochi et confessarii etiam regulares secus egerint, sciant Deo Optimo Maximo rationem reddituros esse, neque defuturam justam Episcoporum animadversionem in contrafacientes.“

Die 5. Febr. 1678.

Sacra Congregatio Emorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini inter-

pretum ad occurrendum abusibus, qui circa usum et frequentiam venerabilis Eucharistiae Sacramenti in Hispaniis praesertim irrepserunt, praevio maturo ac diligenti examine atque exploratis theologorum sententiis censuit dandas esse ad Episcopos Hispaniarum literas circulares, quae contineant mentem ipsius s. Congregationis alias *expressam in literis datis ad Episcopum Brixien. sub die 24. Januarii 1587, necnon ad eosdem transmittendam instructionem* ut supra excogitatam et exartam a domino secretario et ab Emmis PP. specialiter deputatis revidendam, cui tamen insuper addendum quod in feria sexta Parasceve sumptio Eucharistiae expresse prohibetur.

Votum Cardinalis Casanate

Ad quaesita s. Congregationis Concilii de quotidiana et domestica communione SSmi Corporis Christi videlicet:

1. „An et quomodo communio quotidiana permittenda vel restringenda sit quoad saeculares.“
2. „Quoad moniales.“
3. „Quoad istarum famulas.“
4. „An et quomodo communio domestica sit permittenda vel limitanda.“
5. „Qualiter abusibus consulendum.“

„Ad primum. Censeo quotidianam communionem saecularibus nec praecipendam nec interdicendam, sed confessorum arbitrio remittendam, ipsos tamen saeculares enixe hortandos, ut non fidentes de se ipsis confessarios consulant de communione magis vel minus frequenti, et confessariis districte praecipendum, ut accurate suorum poenitentium devotionem ac praeparationem advertentes rarius aut crebrius communionem permittant. Specialiter etiam conjugatos admoneant Sacram Synaxim sumptuos pridie a debito

conjugali per mutuum consensum abstinere.“

„Sunt enim haec omnia decretis et traditionibus apostolicis conformia, ut plenissime deduxerunt PP. Theologi, ut quidquam transcribere vel addere superfluum foret.“

„Sunt pariter eadem decisa per hanc s. Congregationem die 9. Januarii 1587, videlicet: Episcopos certa tempora communionis praescribere non posse. Plenius decisa sunt per literas Episcopo Brixien. directas sub die 24. Januarii 1587 omnino approbandas et exequendas.“

„Est autem ratio potissima, nam sicuti praecipuum vel consilium affirmativum de quotidiana seu frequenti communione induceret periculum indignae sumptionis contra legem apostolicam ad Corinth. 1. cap. 11.: „Probet autem seipsum homo et sic de pane illo edat,“ ita praecipuum vel consilium negativum induceret periculum spiritualis detrimenti contra doctrinam s. Concilii Tridentini sess. 22. cap. 6. de Sacrif. Miss. desumptam ex antiquis canonibus et surgentis Ecclesiae usu. Specialiter monitio conjugatorum conformis est doctrinae apostolicae 1. ad Corinth. cap. 7.: Nolite invicem fraudare nisi ad tempus ut vacetis orationi.“ Est autem conformis auctoritati Sacrae Scripturae in lib. 1. Regum cap. 21. ac insuper habetur ex can.: *Omnis homo*, de consecrat. dist. 2.; rursus ex Catechismo Romano par. 2. de Sacram. Eucharistiae num. 58.“

„Ad 2. et 3. quaesitum. Respondendum censeo ex ipsis literis sub die 24. Januarii 1587, ut moniales et earum famulae communicent diebus solitis vel ab ipsarum instituto praescriptis, committatur tamen prudentiae ac zelo confessorum rarius aut saepius alicui communionem suadere, juxta spirituales capacitatem ac profectum inde sperandum.“

„Ad quartum. Omnino interdicendam esse communionem domesticam extra casum necessitatis uti contrariam praecipuum apostolico ad Corinth. 1. cap. 11.: „Dum convenitis invicem expectate, si quis esurit, domi manducet.“ Ideoque servandum Rituale Romanum sub titulo de Sacramento Eucharist. cap. *de communione infirmorum*. §.: *Potest quidem*, ubi circa finem prohibetur delatio SSmi Sacramenti ad aedes profanas extra casum necessitatis.“

„Ad quintum. Crederem, si SSmo placuerit, opportune abusibus consulendum per literas apostolicas Hispaniarum Episcopis directas, quibus primo loco damnatur illa temeraria opinio, communionem quotidianam esse de jure divino, prout damnanda patet per can.: *Quotidie*, ac per can.: *Etsi* non frequenter de consecrat. dist. 2., itidem ex mente Sac. Concilii Trid. sess. 22. cap. 6. de Sacrif. Missae, ac etiam ex totius Ecclesiae observantia semel in anno et de jure positivo tantum communionem praecipientis. Secundo: damnentur temerarii abusus de communicando extra casum necessitatis in domo vel lectulo et cum pluribus formis sacramentalibus, qui omnes et singuli abusus ex quotidiana communione absque condigna praeparatione, imo cum indecentia et irreverentia irrepserunt. Tertio: inserantur et confirmentur responsa hujus Sacrae Congregationis ad praeserta quaesita, simulque jubeatur Episcopis, parochis, confessariis et praedicatoribus, etiam eorum conscientias graviter onerando, ut nemini saecularium suadeant vel insinuent quotidianam vel certis diebus statutam communionem, quin potius omnia contenta in literis Episcopo Brixien. a s. Congregatione directis et in praesertis responsis uti normam inviolabiliter attendant solumque consulti de quotidiana communione re-

spondeant, quid magis expedire petentibus judicabunt. Quarto: De necessaria praeparatione ad sacram Synaxim verbis apostolicis omnes admoneantur, requiri praeviam remotionem omnis peccati etiam venialis affectuumque profanorum et exercitationem virtutum theologalium pro digna sumptione SSmi Sacramenti, ut sedulo moneri mandat Sacrum Concilium Tridentinum sess. 13. cap. 7. de Sacram. Euchar., ac insuper rigorosius utantur doctrinis religiosorum doctorum, qui post Concilium scripserunt et ad idem fuerunt collecti. Quinto: Efficaciter praedicent et rigore custodiant uniformem observantiam sacrorum Rituum, quos Ecclesia Romana praefinivit et servat in administratione, sumptione ac veneratione Sacramentorum, nihil penitus omitendo vel variando, prout nihil omitti vel variari absque reatu peccati mortalis sancitur in s. Concilio Tridentino sess. 7. de Sacramentis in genere can. 13. et notatur a doctoribus ad eundem canonem collectis.

H. Card. Casanate.

Decretum.

Cum SSmo D. N. innotuerit in quibusdam dioecibus vigere usum quotidianae communionis etiam in feria 6. Parasceve et insimul affirmari, eam praecipuum esse a jure divino, quin etiam pro illius usu aliquos abusus inolere, videlicet, quod aliqui non in ecclesia sed in privatis oratoriis et domi, imo cubantes in lecto et non laborantes ulla infirmitatis nota sumant SSmam Eucharistiam, quam argentea theca inclusam in crumena aut secreto illis deferunt sacerdotes, alique in communione accipiant plures formas seu particulas, ac tandem quis fateatur peccata venialia simplici sacerdoti non approbato ab Episcopo. Cum autem haec SSmus consideranda commiserit S. C. Cardinalium Concilii Tri-

dentini interpretum, eadem S. C. praevia matura discussione super praedictis unanimi sententia ita censuit: Etsi frequens quotidianusque admirandae Eucharistiae usus a SS. Patribus fuerit semper in Ecclesia probatus, numquam tamen aut saepius illam percipiendi aut ab ea abstinendi certos singulis mensibus aut hebdomadis dies statuerunt, quos nec Concilium Tridentinum praescrispsit, sed quasi humanam infirmitatem secum reputaret, nihil praecipiens, quid cuperet tantum indicavit, cum inquit: *Optaret quidem Sacrosancta Synodus, ut in singulis missis fideles adstantes sacramentali Eucharistiae perceptione communicarent.* Idque non immerito; multiplices enim sunt conscientiarum recessus, variae ob hujusmodi negocia spiritus abalienationes, multae e contra gratiae et Dei dona parvulis elargita, quae cum humanis oculis scrutari non possumus, nihil certe de cujusque dignitate atque integritate et consequenter de frequentiori aut quotidiano vitalis panis esu potest constitui. Et propterea, quod ad negotiatores ipsos attinet, frequens ad sacram percipiendam accessus confessoriorum secreta cordis explorantium iudicio est relinquendus, qui ex conscientiarum puritate et frequentiae fructu et ad pietatem processu, laicis negotiatoribus et conjugatis, quod perspicient eorum saluti profuturum, id illis praescribere debebunt. In conjugatis autem hoc amplius animadvertent, cum b. Apostolus nolit eos invicem fraudari, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacent orationi, eos serio admoneant, tanto magis ob sacratissimae Eucharistiae reverentiam continentiae vacandum puriorque mente ad coelestium epularum communionem esse conveniendum. In hoc igitur pastorum diligentia potissimum invigilabit, non ut a frequenti aut quotidiana sacrae communionis sumptione

unica praecepti formula aliqui deterreantur aut sumendi dies universi constituentur, sed magis quid singulis permittendum per se aut per parochos seu confessarios sibi decernendum putet, illudque omnino provideat ut nemo a sacro convivio, seu frequenter seu quotidie accesserit, repellatur, et nihilominus det operam, ut unusquisque digne, pro devotionis et praeparationis modo rarius aut crebrius dominici Corporis suavitatem degustet. Itidem moniales quotidie sacram communionem petentes admittendae erunt, ut diebus ex earum ordinis instituto praestitutis communicent. Si quae vero puritate mentis eniteant et fervore spiritus ita incaluerint, ut dignae quotidiana SSmi Sacramenti perceptione videri possint, id illis a superioribus permittatur. Proderit etiam praeter parochorum et confessoriorum diligentiam opera quoque concionatorum uti et cum eis constitutum habere, ut, cum fideles ad SSmi Sacramenti frequentiam (quod facere debent) ascenderint, statim de magna ad illud sumendum praeparatione orationem habeant generatimque ostendant eos, qui ad quotidianam aut frequentiore salutiferi cibi sumptionem devoto studio excitantur, debere, sive laici negotiatores sint sive conjugati, suam agnoscere infirmitatem, ut dignitate Sacramenti ac divini iudicii formidine discant coelestem mensam, in qua Christus est revereri, ut, si quando se minus paratos senserint, ab ea abstineant, seque ad majorem praeparationem accingant. Episcopi autem, in quorum dioecibus viget hujusmodi devotio erga SSimum Sacramentum, pro illa gratias Deo agant eamque ipsi adhibito prudentiae et iudicii temperamento alere debebunt et ab eorum officio postulari sibi maxime persuadebunt, nulli labori aut diligentiae parcendum, ut omnis irreverentiae et

scandali suspicio in veri ac immaculati agni perceptione tollatur virtutesque ac dona in sumentibus augeantur, quod abunde continget, si ii, qui devote hujusmodi studio, divina praestante gratia, tenentur, seque SSmo Pane frequentius refici cupiunt, suas vires expendere seque probare cum timore et charitate assueverint, quibus Christum Dominum, qui se fidelibus ad manducandum et pretium in morte tradidit, atque in coelesti regno se praemium est daturus, precatur S. C., ut suam opem ad dignam praeparationem et sumptionem largiatur. Porro Episcopi et Parochi seu Confessarii redarguant asserentes communionem quotidianam esse de jure divino; doceant in ecclesiis seu oratoriis privatis ex dispensatione seu privilegio pontificis de manu sacerdotis sumendam SSmam Eucharistiam nec eam ullo modo deferendam in crumena aut secreto ad existentes domi vel cubantes in lecto, praeterquam ad infirmos, qui ad illam suscipiendam ad loca praedicta accedere non valeant, et ad eos deferatur publice et cum pompa iuxta formam Ritualis Romani. Curent etiam, ut circa communionem in feria 6. Parasceve Missalis rubricae et ecclesiae romanae usus serventur. Insuper admoneant, nulli tradendas plures Eucharistiae formas seu particulas, neque grandiores sed consuetas. Non permittant, ut venialium confessio fiat simplici sacerdoti non approbato ab Episcopo; si Parochi et confessarii, etiam regulares, secus egerint, scient Deo optimo maximo rationem reddituros esse, neque defuturam justam Episcoporum animadversionem in contrafacientes etiam regulares etiam societatis Jesu auctoritate apostolica.

Die 24. Sept. 1670.

(Anal. J. P. 1864 pag. 781—825.)

3) Infra missam.

Vd.: *Communio; Nativitas Dom.* (communio).

Benedictus PP. XIV.

Certiores effecti pullulare in nonnullis Italiae dioecibus controversiam de obligatione, qua sacerdotes missas celebrantes adstringantur Eucharistiam ministrare intra easdem fidelibus iis, qui ad ipsam accipiendam paratos se exhibent ac petunt Sacrificii, cui adstant, participes fieri, nostro proinde animo reputavimus, gliscenti malo apostolicae hujus paginae documento obviam ire, ne ulterius, haud absque fidelium eorundem scandalo, progrediatur. Itaque, venerabiles fratres, sermonem Nostrum ad Vos convertimus, ut ipsi quoque pastoralis hac in re officii partes minime negligatis.

§. 1. Ac prima quidem dicendum Nobis occurrit, nemini ex fidelibus in mentem venire posse missas privatas, in quibus Sacerdos solus sacram sumit Eucharistiam, propterea veri, perfecti et integri sacrificii incruenti a Christo Domino instituti rationem amittere ideoque illicitas esse existimandas. Nec enim ignorant fideles aut saltem facile edoceri possunt, sacrosanctum Tridentinum Concilium innixum doctrinae, quam perpetua ecclesiae traditio servavit, huic adversantem novam falsamque Lutheri sententiam damnasse sess. 22. cap. 6. et can. 8.: *Si quis dixerit, Missas, in quibus solus sacerdos sacramentaliter communicat, illicitas esse, ideoque abrogandas, anathema sit.*

§. 2. Nihilominus quandoquidem vetus Ecclesiae praxis et disciplina, iuxta quam fideles Missis adstantes participare passim atque in publicis conventibus solebant sacrosanctum Sacrificium, institutioni et exemplo Christi Domine omnimode convenit; verba ejusdem Concilii eo ipso spiritu, quo

ab eodem prolata sunt, iteramus: *Optaret quidem sacrosancta Synodus ut in singulis missis fideles adstantes non solum spirituali affectu sed sacramentali etiam Eucharistiae perceptione communicarent, ut ejus sanctissimi hujus sacrificii fructus uberius proveniret.* Utinam autem eo ipso christianae pietatis fervore, quo primorum saeculorum fideles exardebant, nostrorum quoque temporum homines inflammati avide ad publicam sacram mensam advolare sanctorumque mysteriorum solemnitate non adesse tantum sed religiose eorumdem participationem exoptare conspicerentur. Nulla certe res est, quae utilius Episcopi, parochi, confessarii studium suum omne impendere valeant, quam in excitandis fidelibus eam mentis puritatem sectandam, unde digni redantur frequenti ad s. mensam accessu et non spirituali tantum sed sacramentali etiam participatione illa Sacrificii, quod a sacerdote, tamquam publico Ecclesiae ministro, non pro se tantum sed pro ipsis et ipsorum nomine offertur.

§. 3. Et quamvis de eodem Sacrificio participant, praeter eos, quibus a Sacerdote celebrante tribuitur in ipsa missa portio Victimae a se oblatae, ii etiam, quibus sacerdos Eucharistiam reservari solitam ministrat; non tamen idcirco aut vetuit unquam Ecclesia aut modo vetat, satisfieri ab ipso sacerdote pietati et justae eorum petitioni, qui Missae adstantes ad consortium admitti postulant ejusdem Sacrificii, quod et ipsi pariter offerunt ea ratione, quae ipsos decere potest: immo probat atque cupit, ne id omitatur, eosque sacerdotes increparet, quorum culpa et negligentia fidelibus participatio illa denegaretur.

§. 4. At quoniam in Ecclesia christiana opus est cuncta ordinate et

congruenter disponi, pastores vigilantiam et curam suam conferent, ut ex una parte fidelium pietas minime fraudetur ex accessu eaque participatione; ex alia vero ita utrumque sortiatur, quin ulla in laudabilibus aliis institutis oriatur perturbatio, unde facile confusio etiam et scandalum oriretur. Quare pastores monere debent eosdem fideles, ut participes esse cupientes sacrae mensae, (quod maximopere probandum diximus) studeant tempus, locum et circumstantias nancisci, quibus et ipsi justorum votorum suorum compotes evadant, nec instituta illa pietatis impediunt. Hisque pastorum suorum monitis fideles sese dociles praebentes cavebunt, ne sibi injuriam factam querantur, si quandoque pro tempore, loco et personis Episcopus minime opportunum censerit a Sacerdote celebrante Eucharistiam distribui iis, qui adstant, quibus scilicet ex ipso tempore facilis et obvia suppetit ratio ad eandem mensam accendendi pluribus aliis locis cuivis instructam.

§. 5. Haud aegre Episcopi et parochi id fidelibus persuadebunt, quoties ipsis significant, ex Ecclesiae disciplina, quae modo viget, non quidem difficiliorem sed faciliorem evasisse iisdem participationem, quam optant. Siquidem veteri more in singulis Ecclesiis passim unica missa celebrabatur, cui fideles adstabant, indeque participabant, quin a solis propriis pastoribus quemadmodum reliqua Sacramenta ita etiam Eucharistiam licite accipere valebant; hisce vero temporibus, ex sacerdotum celebrantium, ex locorum altariumque, quibus ea celebratio publice peragitur, multiplicitate patet cuilibet facile probabilis s. mensa et ad s. convivium admissio. Sin autem iidem fideles ita moniti importune insisterent pro recipienda Eucharistia in iis temporibus, loci et personarum circumstantiis, quas excipiendas cen-

suisset Episcopus Ritualis romani auctoritate etiam fretus, haec illorum petitio utpote nec justa nec rationalis contumacem ac refractarium animum demonstraret cupidumque perturbationis, ac proinde minime compositum Eucharistiae qua par est pietate percipiendae.

§. 6. Dum pastores erga fideles ita se gerent dumque fideles pastorum dictis pronas ita aures accommodabunt, oriatur absque ulla dubietate pax illa perfecta atque concordia, qua capita invicem et membra magnopere colligari decet; desinentque importunae illae controversiae, quae eo tandem tendunt, ut turbas gignant ac scandalum verique animarum fructus, quo nihil pastori carius esse debet, perniciem. Verbis itaque Apostoli Pauli ad Corinthios utimur: *Obsecro Vos, fratres, per nomen Domini nostri Jesu Christi, ut id ipsum dicatis omnes et non sint in Vobis schismata; sitis autem perfecti in eodem sensu et in eadem sententia.* Quae quidem dum Vobis, venerabiles fratres, per haec apostolica scripta nota esse volumus. in felicitatis auspiciis et paternae dilectionis pignus apostolicam benedictionem impertimur.

Datum Romae apud s. Mariam majorem die 13. Novbr. 1742.

(Bull. r. t. XVI. p. 117.)

Vd.: *Commun.* (distributio).

4) In Oratorio.

Vd.: *Orator. priv.* (missa in var. fest., const. Bened. XIV. §. 21—24. t. II. p. 462.) *SS. Viaticum.* (Quibus port.?) *SS. Sacram. euch.* (distrib. quot.); *Communio frequens.*

Eucharistiam in oratoriis privatis administrare, quamvis multi vetitum non esse credant, tamen consonans praxis, quae Romae obtinet, vetat in dioecesi Bononiensi.

Bened. XIV. Instit. Eccl. 34. §. 12.

5) In Parasceve.

Vd.: *Communio in Parasceve.*

Ad Episcopos Hispaniae.

In feria VI. Parasceve sumptio Eucharistiae expresse prohibetur.

Die 5. Febr. 1678; 24. Sept. 1678. *An liceat feria sexta Parasceve missas privatas celebrare? Item, an liceat communicare?*

Votum C. Casanate.

„Ad primum. Censeo respondendum quoad feriam VI. omnino negative. Antiquitus enim Ecclesia his duobus majoris hebdomadae a celebratione abstinuit, ut ex traditione testatur S. M. Innocentius I. in canone: *Sabbato, de consecr. dist. 3., ibi: Traditio Ecclesiae habet hoc biduo Sacramenta penitus non celebrari, nempe corporis et sanguinis Christi,* ut explicat glossa ibidem. Extat etiam decretum in Consilio Arausicano: *Divina mysteria his duobus diebus non celebrantur.* Et notant Gavantus in rubrica missalis ad feriam 6. in Parasceve, Card. Bona rerum liturgicar. lib. 1. cap. 15. §. 5. vers.: *Hunc morem.* Postmodum ex tempore ac populorum opportuniorem commoditatem Ecclesia solemnem missam de nocte resurrectionis praetulit ad sabbatum sanctum. Quibus stantibus non licet ecclesiis inferioribus assumere sibi ritum ab ecclesia romana non receptum consultoque omissum in memoriam sepulturae Domini, cum nec liceat novum ritum sine approbatione apostolica efformare vel approbatas variare, ut cavetur in s. Concil. Tridentino sess. 7. de Sacram. in gen. can. 13. et specialiter in constitutionibus apostolicis sa. me. Pii V., Clementis VIII. et Urbani VIII. sub datum pridie idus Julii 1570, die 7. Julii 1604 et 2. Septbr. 1634 rursus in decretis emanatis a S. R. C., quibus praeci-

pitur omnino servari rubricas missalis Romani, rejecto quocumque praetextu et contraria consuetudine ut abusu, eademque decreta sa. me. Urbanus VIII. ab omnibus ubique servari mandavit. Et habentur haec omnia impressa in principio missalis“.

„Ad secundum. Dico eadem die communionem nullo jure impediri, quinimo in libro sacramentorum s. Gregorii papae ad feriam 5. majoris hebdomadae circa finem rubricae p. 69 sic habetur: *Hoc expleto ablutis manibus pontifex vadit ante altare, communicat omnis populus in ordine sua et servat de ipso sacrificium in crastinum unde communicent.* Rursus ad feriam VI. in Parasceve, circa finem rubricae pag. 70, sic habetur: *Communicant omnes cum silentio et expleta sunt universa.* Ut decentius tamen ac rectius suadendum puto, feria 6. in Parasceve neminem communicare sed tantum actibus poenitentiae omnes applicari, prout servatur in Ecclesia Romana et bene tradit Hugo Menardus in notis ad eundem librum Sacramentorum, ubi: *Et communicant omnes*, pag. 87. refert decretum concilii Toletani IV. can. 6. de feria 6. Passionis Domini per haec verba: „Ideoque oportet eodem die mysterium crucis, quod ipse Dominus cunctis annunciandum voluit praedicari, atque indulgentiam criminum clara voce omnem populum postulare, ut poenitenti compunctione mundati venerabilem diem resurrectionis dominicae iniquitatibus remissis suscipere mereamur, corporis etiam ejus et sanguinis Sacramentum mundi a peccato sumamus“. Addidit insuper p. 88. decretum concilii Toletani XVI. can. 8. per haec verba: *Excepto Passionis die, quando altaria nudata persistunt, nec cuiquam eodem die licet missarum solemniam celebrare*, idemque auctor

de antiqua observantia Hispaniae testatur, his conciliis conformi.

(Anal. J. P. 1864. p. 839).

„An liceat feria sexta in Parasceve celebrare missas privatas et ex particulis asservatis communicare fideles“?

Votum C. Casanate.

„Ad primum respondendum negative absolute; ex perpetua quippe consuetudine Ecclesiae nulli sacerdoti licet conficere corpus Christi in hac sexta feria; quae prohibitio habetur expressa in epistola prima Innocentii I. ad Decentium relata in canone: *Sabbato dist 3. his verbis: „Quod utique non est dubium in tantum eos jejunasse biduo memorato, ut traditio Ecclesiae habeat isto biduo Sacramenta penitus non celebrari“*, id est, Sacramentum corporis et sanguinis Christi, explicat glossa. Confirmatur canone Concilii Arausicani hoc prohibentis: „Divina mysteria his duobus diebus (nempe feria sexta et sabbato sancto) non celebrantur“. Ad quam consuetudinem perpetuo sustinendam in Ecclesia cum antiquis conveniunt recentiores prorsus omnes. Ecclesia quoque graeca abstinebat hac feria a sacrificio, sed utebatur missa praesanctificatorum, ut colligitur ex rituali Goarii, in notis ad missam praesanctificatorum sed diversa ratione; durante siquidem quadragesimali jejunio abstinere debebant Graeci a celebrandis missis praeterquam in sabbatis, Dominicis ac die Annunciationis in vim canonis 49. concilii Laodicaeni et 32. Trullani.

„Ad secundum: affirmative. Ratio est, quia nullo jure reperitur prohibitum: Non scripto, quia licet missale Romanum jubeat asservari particulas cum hac restrictione: Si opus fuerit pro infirmis, non inde prohibet, ut non possint inservire etiam sanis: Non ex jure introducto ex consuetudine;

quamvis enim regulariter hoc non fiat a fidelibus, hoc tamen non sit ea necessitate sed ex congruentia. Immo tantum abest, ut hoc adversetur ecclesiasticis institutis, quod tempore b. Gregorii in feria sexta non solum Pontifex Eucharistiam sumebat, verum etiam universo populo distribuebat, sicuti habetur in lib. Sacram. in feria 5. majoris hebdomadae: „Hoc expleto ablutis manibus Pontifex vadit ante altare et communicat omnis populus in ordine suo et servat de ipso sacrificio in crastinum unde communicent“. Super quae postrema verba Hugo Menardus in notis habet: „Sacerdos in missa utitur praesanctificatis, id est hostiis antea consecratis, tum pro se tum pro omni populo. „Haec opinio communis est apud omnes doctores contra Francolinum“.

(Ibid. p. 840).

S. Congregatio Concilii. Toletana seu Hispaniarum consuetudinis ministrandi Eucharistiam in feria 6. Parasceve pro Ven. Cong. S. Benedicti Hispaniarum. Juris de Ansaldo.

Emme et Rmme Dne. Edictum, in quo Eminentissimus Archiepiscopus Toletanus praecepit praelatis regulis, ne permetterent in eorum ecclesiis ministrare augustissimam Eucharistiam in feria 6. Parasceve sub eo fundamento, quod sacra haec Congregatio de mandato SSmi Domini Nostri consulta hujusmodi ritum tantquam abusum damnaverit et injunxerit locorum ordinariis, ut ipsum remove curarent, aliquo modo temperari seu declarari mereret, vel saltem permittebatur omnino creditur continuatio peculiaris consuetudinis immemorabilis in proposito vigentis, ut infra, in universa Congregatione Ordinis sancti Benedicti Hispaniarum.

„Siquidem, quatenus attinet ad asser-

tum abusum, non leve fortasse aequivocum irrepsisse dignoscitur ex lectura ipsiusmet Decreti hujus s. Congregationis, cum ibi hujusmodi ritus denominetur usus et non abusus ex illis verbis: Cum ad aures SSmi Domini Nostri fide dignorum testimonio pervenerit in quibusdam dioecesibus vigere usum quotidianae communionis etiam in feria sexta Parasceve“. Ideoque dum praedictum decretum post denominationem usus respicientis quotidianam communionem procedit per verba augmentativa etiam in feria sexta Parasceve, profecto male adaptatur eidem communioni in ipsa feria sexta nuncupatio: abusus. Praefata enim dictio etiam regitur a superiori verbo usus et consequenter non potest nisi vel copulare vel ampliare eandem orationem eundemque sensum et vocabulum, sub quo continetur ad communiter notata per Doctores“.

Et licet postmodum in ipso decreto subjungatur: „Quin etiam in illius administratione aliquos abusus inolevisse, videlicet quod aliqui non in Ecclesia etc.“ non tamen salva ratione recti sermonis vocabulum abusus adhibitum in hoc casu valet comprehendere superiorem expressum usum communionis etiam in die sexta Parasceve, tum quia S. Congregatio sese illico explicavit, de quibus abusus intelligere voluerit, nempe de illis in ipsius Sacramenti administratione cadentibus, mediante dictione: videlicet, de sui natura ex juribus notoriis dumtaxat explicativa; tum etiam quia ex hoc manifesto et discretivo modo loquendi inter unum casum respicientem tempus alterumve concernentem modum solius administrationis, diversa procul dubio exoritur voluntas et interpretatio“.

„Verum parum prodesset huic parti obtinere victoriam super nudo vocabulo, quoties revera et in substantia